



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

4 De homine quantum ad virtutes & vitia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

quæ sunt generum diuersorū. Omnes autem motus continui conueniunt in vno genere, inq̄tum sunt commensurabiles, & ideo possunt habere vnam mensuram communem: mensurantur. n. omnes simplicissimo modo sui generis, s. velocissimo motu primi cæli, vnde omnium motuum continuorum, potest esse vnum tempus commune, q̄ quidem tempus licet videatur esse secundū genus de numero discretorum, quia est numerus harum rerum continuarum, s. motuum, fit & ipsum continuuum, sicut decem simpliciter dictum, est aliqd discretum: sed decem vna: panni, est aliquid cōtinuum. Discretorum autem & continuorum non potest esse vna mēsurā communis, cum sint diuersorum generum, inquantum sunt mensurabilia: & ideo necesse est si sint aliqui motus continui, q̄ tempus eorum aliud sit a motu quo mensuratur motus continui. Manifestum est autem, quod motus spiritaliū creaturarum, de quib. Aug. loquitur dicens creaturam spūalem moueri per tempus, & non per locum, non sunt motus continui, sed viciissitudines quædam discretæ. Dicit. n. q̄ per rēpus mouetur animus vel reminiscendo quod oblitus erat, vel discendo quod nesciebat, vel volendo qd volebat: vnde manifestum est, q̄ cum tempus non habeat continuitatem nisi ex motu, quod tale tēpus non habeat cōtinuum, & q̄ est aliud a tempore corporalium rerum.

Ad PRIMVM ergo dicendum, quod Aug. ex ipsa differentia motuum dat intelligere differētiā temporum.

Ad SECUNDVM dicendum, q̄ eo modo aliquid est vnum, quo est, & dī esse: quod enim dī esse s. in specie, est vnum specie, non autem vnum numero: vnde nō sequitur, si sint plures homines, quod non sit homo, & similiter non sequitur, si sint plura tempora, q̄ non sit tempus.

QVÆSTIO IIII.

**D**E IDEM quæsitū est de homine. Et primo quantum ad virtutes.

¶ Secundo, Quantum ad peccata.

¶ Tertio, Quantum ad poenas. Circa virtutes autem fuit quæsitum, & quantum ad res diuinas, & quantum ad res humanas. Quantū ad res diuinas, quæ sita sunt tria.

¶ Primo, Circa fidem, vtrum aliquis teneretur credere Christo uisibilia miracula non facientem.

¶ Secundo, Circa fidei sacramentum, vtrum parvuli Iudæorum sint baptizandi inuitis parentibus.

¶ Tertio, Circa decimas, quæ debentur ministris sacramentorum, vtrum aliquis propter consuetudinem possit excusari, ne decimas soluat.

ARTICVLVS VI.

Vtrum homines credere debuissent Christo non facienti uisibilia miracula.

**A**D PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod Christus non facienti uisibilia miracula homines credere non tenerentur. Quæcumque enim nō facit hoc ad quod teneretur, peccat: sed si hoīes non crederent Christo miracula non faciēti, non peccarent. Dicit. n. ipse Io. 15. Si opera nō fecissem in eis, quæ nullus alius fecit, peccatū non hērent, & loq̄tur de peccato infidelitatis, secundum Aug. ergo Christus si non fecisset miracula, homines crede-

**A**re non tenerentur.

¶ Præter. Nullus potest mutare legem, nisi legislator, uel eo superior: sed Christus prædicabat quædam quæ uidebatur pertinere ad ueteris legis abolitionem, sicut quod cibi non coinquinarent hominē, & quod licet in sabbatho operari, si ergo non probasset se esse legislatorem, non fuisset ei credendū: sed hoc fieri non potuisset nisi per miracula, cum legislatorē multa miracula præcesserint, ergo Christo non est credendum nisi miracula fecisset.

**S**ED CONTRA. Magis obligantur homines ad credendum primæ ueritati, quam ad credendum uisibilibus signis: sed licet Christus miracula non fecisset, ipse tamen uerus Deus existens, prima ueritas erat, ergo etiam si miracula non fecisset, adhuc erat ei credendum.

¶ Præter. Gratia unionis est maior quam gratia gratum faciens per adoptionem: sed miracula nō sufficienter probant gratiam gratum facientem, quia ut habetur Mat. 7. his qui Christo in iudicio dicēt, Domine in nomine tuo uirtutes multas fecimus, respondebitur, Non noui uos. ergo multo minus miracula sufficienter ad probandum gratiam unionis. Si ergo sine miraculis Christo homines credere non tenerentur, neque etiā miraculis factis tenebantur credere dicenti se esse Deum, quod patet esse falsum.

**R**ESPON. Dicendum, q̄ nullus tenetur ad hoc quod est supra uires suas, nisi per hunc modū quo fit sibi possibile: credere autem est super potentiam hominis naturalem, unde ex dono Dei prouenit, sedm̄ illud Apostoli ad Eph. 2. gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex uobis, Dei enim donum est. & ad Philipenses 1. dicit. Vobis datum est non solum ut in ipsum credatis, sed ut pro ipso patiamini. Homo ergo tenetur credere secundum hoc, q̄ adiuuatur a Deo aliquis ad credendum. Adiuuatur a Deo aliquis ad credendum tripliciter. Primo quidem per interiorē uocationem, de qua dicitur Ioannis 6. Omnis qui audit a patre & didicit, uenit ad me. & ad Roma. 8. Quos prædestinauit, hos & uocauit. Secundo per doctrinam, & predicationē exteriorē, secundum illud Apostoli ad Rom. 10. Fides ex auditu, auditus autem per uerbum Christi. Tertio per exteriora miracula, unde dicitur 1. Corinth. 14. quod signa data sunt infidelibus, ut scilicet per ea prouocantur ad fidem. Si autem Christus uisibilia miracula non fecisset, adhuc remanebant alii modi attrahendi ad fidem, quibus homines acquiescere tenerentur. Tenebantur enim homines credere actori legis & prophetarum. Tenebantur etiam interiori uocationi non resistere, sicut Isaias de se dicit. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum nō abii, Isai. 50. sicut de quibusdā dicitur Act. 7. Vos semper Spiritui sancto resististis.

**A**D PRIMVM ergo dicendum, q̄ in ter illa opera quæ Christus in hominibus fecit, annumerari etiam debet uocatio interior, quæ quosdam attraxit, sicut Grego. dicit in quadam Homelia, quod Christus per misericordiam Magdalenam traxit interior, qui etiam per clementiam suscepit foris. Annumerari etiam debet eius doctrina, cum etiā ipse dicat. Si non uenissem, & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent.

**A**D SECUNDVM dicendum, q̄ Christus poterat se ostendere esse legislatorem non solum faciēdo uisibilia miracula, sed etiam per auctoritatem scripturæ, & per interiorē instinctum.

**AD TERTIUM** dicendum, q̄ interior infinis, quo Christus poterat se manifestare sine miraculis exterioribus, pertinet ad virtutē primæ unitatis, quæ interiori hominem illuminat & docet.

**AD QUARTUM** dicendum, q̄ miracula uisibilia sunt virtute diuina ad cōfirmationem virtutis fidei: unde dicitur Marci ultimo de Apostolis, q̄ prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis. Non autem sunt miracula semper ad demonstrandum gratiā eius, per quem miracula fiunt. & ideo potest cōtingere q̄ aliquis gratiam gratum facientem non habens, miracula faciat: sed hoc contingere non potest, quod aliquis falsam doctrinam annuntians, uera miracula faciat, quæ nisi uirtute diuina fieri non possunt. Sic enim Deus esset falsitatis testis, qd̄ est impossibile. Cum ergo Christus se filium Dei diceret, & æqualem Deo, hanc eius doctrinam cōprobabant miracula quæ faciebat, cē Deus. Petrus autem licet eadem, uel maiora miracula faceret, non probabatur esse Deus, sed per ea et probabatur, q̄ Christus esset Deus: quia Petrus non predicabat seipsum, sed Iesum Christum esse Deum.

**ARTICVLVS VII.**

*Utrum pueri Iudeorum sint baptizandi inuitis parentibus.*

Ar. 29. 22. q. 19. art. 2. & 3. q. 5. 68. art. 10. o. & art. 49.

**AD SECUNDUM** sic proceditur. Videtur, quod pueri Iudeorum sint baptizandi inuitis parentibus. Maius enim est uinculum matrimoniale, quam ius paternæ potestatis, quia paternæ potestas potest per hominem solui, cum filius familiam emancipatur: uinculum autem matrimoniale non potest solui per hominem, secundum illud Matth. 19. Quos Deus coniunxit, homo non separet: sed propter infidelitatem soluitur uinculum matrimoniale. dicit enim Apostolus 1. ad Cor. 7. quod si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti est subiectus frater aut foror in huiusmodi. & canon dicit q̄ si coniunx infidelis non uult cohabitare sine contumelia creatoris, quod alter coniugum non debet ei cohabitare. ergo multo magis propter infidelitatem tollitur ius paternæ potestatis: sic ergo infideles Iudæi non habent ius paternæ potestatis in suos filios. possunt ergo eorum filii baptizari eis inuitis.

**Præterea.** Magis debet homini subueniri contra periculum mortis æternæ, quam contra periculum mortis temporalis: sed si aliquis uideret hominē in periculo mortis temporalis, & ei non ferret auxilium, peccaret. cum ergo pueri Iudeorū, & aliorum infidelium sint in periculo mortis æternæ si parentibus relinquantur, qui eos in sua fidelitate informant, uidetur quod sint eis auferendi, & baptizandi, & in fide instruendi.

**Præterea.** Filii seruorum sunt serui, & in potestate dominorum: sed Iudæi sunt serui regum & principum, ergo & filii eorum. reges ergo & principes habent potestatem de filiis Iudeorum facere quod uoluerint. nulla ergo esset iniuria, si baptizarentur inuitis parentibus.

**Præterea.** Quilibet homo magis est Dei, a quo habet animam, quā patris carnalis, a quo habet corpus: non est ergo iniustum, si pueri Iudeorum carnalibus parentibus auferatur, & Deo per baptismum consecrentur.

**Præterea.** Baptismus est efficacior ad salutē, quā predicatio, quia per baptismum statim tollitur peccati macula & reatus peccati, & aperitur ianua celi: sed si periculum sequatur ex defectu predicationis, imputatur

ei qui non predicauit, ut habetur Eze. 3. & 33. de eo qui uidet gladium uenientem, & nō inuenerit uerba. ergo multo magis si pueri Iudeorum damnentur pro defectu baptismi, imputatur ad peccatum eis, qui potuerunt baptizare, & non baptizauerunt.

**SED CONTRA.** Nemini facienda est iniuria. Fieret autem Iudæis iniuria, si eorum filii baptizarentur eis inuitis, quia amitteret ius paternæ potestatis in filios iam fideles. ergo eis inuitis nō sunt baptizandi.

**RESPON.** Dicendum, q̄ maximam auctoritatem habet ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus emulanda, quia & ipsa doctrina catholicorum doctorum ab ecclesiā auctoritatem habentem de magis est standum consuetudini ecclesiæ, quā uel auctoritati Au. uel Hier. uel cuiuscumq̄ doctoris. Hoc autem ecclesiæ usus numquam habuit, q̄ Iudeorum filii inuitis parentibus baptizarentur, quamuis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, & alii plures, quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, ut Siluester Constantino, & Ambrosius Theodosio, quæ nullo modo præsumissent ab eis inpetrare, si hoc esset consensum rationi: & ideo periculosum uideatur hanc assertionem de nouo inducere, ut præter consuetudinem in ecclesiā hætenus obseruatam Iudeorum filii inuitis parentibus baptizentur. Et huius ratio est duplex, una quidem propter periculum fidei. Si enim pueri nondum usum rationis habentes baptismum suscipiant, post modum cum ad perfectam etate perueniant, de facili possent a parentibus induci, ut relinquerent qd̄ ignorantes susceperant, quod uerteretur in fidei detrimentum. Alia uero ratio est, quia repugnat iustitiæ naturali. Filius enim naturaliter est aliquis patris, & primo quidem a patre non distinguitur secundum corpus, quādiu in matris utero cōtinetur. Postmodum uero postquam ex utero egreditur, antequam usum liberi arbitrii habeat, cōtinetur sub parentum cura, sicut sub quodam spiritali utero. Quādiu enim uisum rationis non habet puer, non differt quantum ad ea quæ agit ab animali irrationali. Unde sicut bestia uel equus iure gentium, uel ciuili est possessio, ut utatur eo cum uoluerit, sicut proprio instrumentum: ita de iure naturali est, quod filius antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris: unde contra iustitiam naturalem esset, si puer antequam habeat usum liberi arbitrii, a cura parentum subtraheretur, uel de eo aliquid orderetur inuitis parentibus.

Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, iam incipit esse suus, & potest quantum ad ea quæ sunt iuris diuini, uel naturalis sibi ipsi pronuntiare, & tunc est inducendus ad fidem non coactione sed per suasionem, & potest etiam inuitis parentibus sentire fidei & baptizari, non autem antequam habeat usum rationis. Unde de pueris antiquo patrum dicit, q̄ saluabantur in fide parentum, per quod debet intelligi, q̄ ad parentes pertinet providere filiis de sua salute, præcipue antequam habeant usum rationis.

**AD PRIMUM** ergo dicendum, q̄ in uinculo matrimoniali uterque coniugum habet usum liberi arbitrii, & uterque potest inuito altero fidei a se sentire: sed hoc non habet locum in puero antequam habeat usum rationis, sed postquam habet usum rationis, tunc tenet similitudo, si conuerti uoluerit.

**AD II.** dicendum, quod a temporali non est aliquid eripiendus cōtra ordinem iuris ciuilis, puta, si aliquis a suo iudice cōdēnetur ad mortē, nullus debet eum uolenter eripere, unde nec aliquis debet

irritum.

frumpere ordinem iuris naturalis, quo filius est sub cura patris, vt eum liberet à periculo mortis aeternae.

AD TERTIVM dicendum, quòd Iudaei sunt serui principum seruitute civili, quae non excludit ordinem iuris naturalis, vel diuini.

AD IIII. dicendum, quòd homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam Deum cognoscere potest, vnde puer aetate quam vsum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum cura naturaliter subiacet, & secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum diuina agenda.

AD V. dicendum, quòd periculum quod sequitur ex praedicatione omnia nulli imminet, nisi ei cui est commissum praedicationis officium, vnde in Ezech. praemittit. Speculatorem dedi te filiis Israel: prouidere autem pueris infidelium de sacramentis salutis pertinet ad parentes eorum, vnde eis imminet periculum propter subtractionem sacramentorum, si eorum paruuli detrimentum salutis patiantur.

ARTICVLVS VIII.

*Vtrum propter consuetudinem aliqui de obligantur a iure reddendi decimas.*

AD TERTIVM sic procedit. Videtur quòd propter consuetudinem aliqui deobligantur a iure reddendi decimas. Magis. n. est accipere decimas, quam non dare: sed propter consuetudinem in aliquibus terris aliqui milites accipiunt decimas, & hoc ab ecclesia tolleratur. ergo multo magis propter consuetudinem aliqui deobligantur vt decimas non soluant, neque soluere teneantur.

SED CONTRA. Ius diuinum non aboletur per consuetudinem: sed decimae debentur de iure diuino. ergo per consuetudinem non aboletur ius reddendi decimas. teneantur ergo homines reddere decimas contraria consuetudine non obstante.

RESPON. Dicendum, quòd ea quae sunt de iure positio, per consuetudinem abolerentur. Ea vero quae sunt a iure naturali, vel de iure diuino, nulla consuetudine aboleri possunt. Nulla. n. consuetudine fieri potest, vt sit licitum furari, vel machari. Est ergo considerandum ad propositam quaestionem, vtrum dare decimas, sit de iure diuino, vel de iure positio humano. Ius autem diuinum in nouo & in veteri testamento continetur. Et quidem non apparet in nouo testamento aliquod praecipuum datu de decimis soluendis, in doctrina dico Evangelica, vel Apostolica. Qd. n. dicit Mat. 23. de solutione decimarum, hoc oportuit facere, & illa non omittite, & quod dicit Pharisaeus. Luc. 18. Decimas de oīum quae possideo, magis videtur ad statum veteris testamenti pertinere, quam obseruantia noui testamenti formam imponere. In veteri autem testamento triplex genus praepceptorum erat. Quaedam enim erant praepcepta moralia, quaedam iudicialia, quaedam caeremonialia. Praepcepta moralia sunt quae sunt indita naturali rationi, ad quae homines omni tempore obligantur, vt Honora patrem & matrem, Nō me chaberis, Non furtum facies, & similia. Praepcepta autem iudicialia sunt, per quae iudicia exercebantur, puta, si quis furaretur vnam ouem, redderet quatuor, & huiusmodi praepcepta non sunt indita rationi naturali: non. n. ratio naturalis habet, quòd ille qui furatur ouē, magis reddat quatuor quam tres, vel unam: sed tamen per huiusmodi praepcepta determinatur morale praepceptum. Habet. n. ratio naturalis

A quod ille qui furatur, debeat puniri: sed quod tali pena puniatur, hoc determinatur per praepceptum iudiciale. Praepcepta autem caeremonialia veteris legis sunt, quae pertinent ad obseruantiam diuini cultus, & sunt ordinata ad figurandum aliquod futurum, sicut immolatio agni paschalis figurabat occisionem Christi. Est ergo considerandum, vtrum praepceptum de decimis persoluedis sit mortale, vel iudiciale, vel caeremoniale. Si enim morale, est, ad hoc omnes tenentur, & omni tempore, nulla obstante contraria consuetudine. Sed hoc non videtur, quia ratio naturalis non dicitur magis quod homo ministris Dei det decimam, quam undecimam, vel nonā partem fructuum. Si autem sit praepceptum iudiciale, non tenentur ad decimas dandas: sicut non tenentur omnes ad iudicandum secundum iudicia in lege veteri conscripta, quia illa iudicialia praepcepta sunt specialiter illi populo data considerandi conditionibus eius, non. n. eadem omnibus expediunt. Si autem sit praepceptum caeremoniale non solum non obligaret, sed etiam obseruatum induceret in peccatum: peccaret. n. si quis agnum paschalem immolaret, quia post aduentum veritatis cessauerunt figure.

Dicendum est ergo sicut antiqui magistri dixerunt, quod quaedam praepcepta legis sunt pure moralia, vt, Non occides, Non furtum facies: quaedam autem pure sunt caeremonialia, ut immolatio paschalis agni, & circumcisio: quaedam autem sunt media, secundum aliquid moralia, & secundum aliquid caeremonialia, sicut praepceptum de obseruatione sabbathi est morale quantum ad hoc, quòd aliquid tempus quieti deputetur ad vacandum diuinis. Hoc. n. ratio naturalis habet: sed quòd dies septima sit deputata, hoc est ex determinatione Dei propter aliquam figuram, vnde hoc est caeremoniale. Sic ergo praepceptum de decimis persoluedis est quidem secundum aliquid morale, ut. s. qui pro toto populo diuino obsequio vacant, super indies populi sustententur, sicut & qui in aliis officiis reipublicae seruiunt, a populo sustentantur, & secundum hunc modum proponitur hoc praepceptum in nouo testamento. Dicit. n. Dominus Matt. 10. Dignus est operarius cibo suo. & Ap. dicit 1. ad Cor. 9. Dominus ordinauit, ut qui euangelium enuntiant, de euangelio uiuant, & qui altari deseruiunt, de altari uiuant. Sed quantum ad determinationem numerum decimae non est de iure naturali, neque est praepceptum morale, sed est caeremoniale, in quantum refertur ad figurandum aliquid circa Christum: vel etiam est iudiciale secundum conuenientiam ad illum populum, in quo multitudo ministrorum tali taxatione opus erat ad ministrorum Dei sustentationem: sic ergo hoc commune, quòd est providere ministris Dei in necessariis uitae, est de iure diuino quasi morale praepceptum, & de iure naturali existens. Ad quemlibet autem principem qui potest leges condere, pertinet ius naturale commune per ius posituum determinare. Nihil. n. est aliud ius posituum, quam determinatio iuris naturalis, sicut ius naturale habet, quòd malefactor puniatur, sed quod tali pena puniatur, hoc determinatur per ius posituum. Quia ergo ecclesia habet potestatem condendi legem in his quae pertinent ad cultum Dei, potuit per ecclesiae statum taxari quantitatem eorum quae sunt danda ministris Dei a populo: & ut esset quaedam consonantia noui & veteris testamenti, statuit ecclesia ut taxatio veteris testamenti seruaretur et in nouo. Vnde omnes tenentur ad decimas veluti non lint. Posset autem ecclesia statuere, si cau fa subesset, vel in maiori, vel in minori numero, puta, quod daret octaua, Quodlib. S. Tho. B 2 ucl

vel duodecima, sicut & quod detur decima. Pater ergo q̄ nulla consuetudo contraria soluit hominē ab obligatione reddendi decimas, quia hęc obligatio fundatur supra ius diuinum, & supra ius naturale: unde semper tenentur homines reddere decimas, si ecclesia exigat, etiam contraria consuetudine non obstante. Et in terris, in quibus est consuetudo quod decime soluuntur, ipsa consuetudo quasi expostulat decimas, unde peccat qui non redderet: sed in terris, in quibus non est consuetudo communis quod decime dētur, & ecclesia non petit, v̄f ecclesia remittere dum dissimulat, & ideo homines in terris illis non peccant decimas non dādo. Durum enim esset dicere, q̄ omnes homines Italic & orientalium partium damnarētur, qui decimas non soluunt. Et huiusmodi argumentum possum⁹ ab Apostolo accipere, cui cum deberentur necessaria victus ab his quibus predicabat, tamen nō accipiebat, nec tamen peccabant qui ei non dabant: alioquin male cum eis egisset non accipiendo, p̄sertim cum ipse dicat Act. 20. Non. n. subterfugi, quominus annuntiares uobis omne consilium Dei, & ideo Apostolus non exigebat quod sibi debebatur, ne daretur aliquod offendiculum euangelio, ut ipse ibi dicit; unde non bene facerent rectores ecclesiarum, si in terris illis decimas exigere, in quibus non est consuetudo dari, si probabiliter crederent quod ex hoc scandalum nasceretur.

Ad illud ergo quod in contrarium obicitur, dicendum, quod milites qui accipiunt decimas in aliquibus terris, non habent ius accipiendi decimas: hoc. n. ius est spirituale debitum ministris Dei, unde non cadit in laicam personam. Sed res illarū temporales quae a iure exiguntur, ex concessione ecclesiae datae sunt aliquibus militibus propter aliqua seruitia quae fecerunt ecclesiae: sicut & ecclesia potest remittere ipsos fructus qui debentur pro decima, non tamen remittit ius exigendi decimas, nec tollit debitum reddendi.

QVÆSTIO V.

23. q. 43. a. 8. ad 5. ad 1.

**D**E INDE quaesitum est de his que pertinent ad virtutes circa res humanas.

¶ Et circa hoc quaesita sunt duo.

¶ Primo, Vtrum filius teneatur obedire parentibus carnalibus in indifferentibus.

¶ Secundò, Vtrum uenditor teneatur dicere emptori, vitium rei venditae.

ARTICVLVS IX.

Vtrum filius teneatur obedire parentibus carnalibus quantum ad omnia.

23. q. 37. a. 4. 2. 2. ad 3. q. 100. art. 4. ad 3. d. di. 25. q. 3. art. 2. q. 3. ad 4.

**A**D PRIMUM sic proceditur. Videtur, quod filius teneatur obedire parentibus carnalibus quantum ad omnia. Dicitur enim Deuteronomio 21. Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui non audiat patris, aut matris imperium, lapidibus eū obruet populus ciuitatis: sed pena talis non infligeretur, nisi grauiter peccaret non obediendo, ergo filius tenentur obedire parentibus carnalibus per omnia.

¶ Præter. Apostolus dicit ad Colossenses 3. Filii obedite parentibus per omnia.

¶ Præter. Præcepta moralia affirmatiua quis non ad semper obligent, tamen numquam contrarium facere licet: sed præceptum morale affirmatiuum est

de honoratione parentum, ergo nō licet irreuerentē esse parenti, quod esset, si ei⁹ mādato nō obediret. tenetur ergo filius in omnibus parentibus obedire.

**S**ED CONTRA. Non minus obedendum est patribus spiritualibus quam carnalibus, sed magis, ut habetur per Apo. ad Heb. 12. sed patribus spiritualibus non tenentur subditi obedire in indifferentibus. Religiosi enim qui obedientiam profitentur, non tenentur obedire suis praelatis, nisi in his que sunt secundum regulam, ut Bern. dicit in lib. de dispensatione, & præcepto, ergo nec parentibus carnalibus filii tenentur in indifferentibus obedire.

**R**ESPON. Dicendum, q̄ cum obedientia praelato debeat, ad illa se extendit debitum obedientiae ad que se extendit ius praelationis: habet autem pater carnalis ius praelationis in filium. **G** Primo quidem quantum ad domesticam conuersationē. Sic. n. est pater familias in domo, sicut rex in regno, unde sicuti subditi regis tenentur obedire regi in his que pertinent ad gubernationem regni, etiam filij, & alij domestici tenentur obedire patrifamilias in his que pertinent ad dispensationem domus. Secundo, quanto ad morum disciplinā, unde Apostolus dicit ad Heb. 12. Patres quidem carnis nostrae habuimus etuditorum, & obtemperabamus eis. Debet enim pater filio non solum educationem, sed etiam disciplinam, ut Phil. dicit in his ergo filii tenentur obedire patri carnali, & non in aliis.

**A**D PRIMUM ergo dicendum, quod loquūti sunt Moyses de imperio paterno, quod pertinet ad disciplinam morum: unde ibidem dicitur. Mōta nostra audire contemnit, & comestationibus vacat, & luxuria atque conuiuio.

**A**D SECUNDUM Dicendum, q̄ Apostolus dicit, obedendum esse parentibus per omnia, ad que ius praelationis extendit.

**A**D III. dicendum, q̄ non exhibet irreuerentiam præcipienti, si non obedet ei in his, in quibus obedire non tenetur.

ARTICVLVS X.

Vtrum uenditor teneatur dicere vitium rei venditae emptori.

**C**IRCA secundum sic proceditur. V̄f quod uenditor non teneatur dicere vitium rei venditae emptori, quia secundū leges ciuiles uenditor & emptor se inuicem decipere possunt, nulla autem potest fieri deceptio, si uenditor rei uenditae vitium emptori dicere teneatur, ergo non tenetur.

Sed dicebat, q̄ leges non loquuntur, sed fori conscientia, sed quod nunc loquimur, est secundū forum contentiosum. Sed contra secundum philosophum in 2. eth. Intentio legislatoris est ciues facere bonos, quod ergo licet secundum leges non est contrarium uirtuti, & ita etiam non est contrarium conscientiae.

**S**ED CONTRA est, quia secundum leges ciuiles aliquis uēdat animal morbidum, tenetur de vitio, ergo tenetur dicere vitium emptori.

¶ Præter. Tullius dicit in libro de officiis, quod ad officium boni uiri pertinet, ut dicat emptori illud, pro quo res minus uenderetur: huiusmodi autem est vitium rei uenditae, ergo uenditor tenetur dicere emptori vitium rei uenditae.

**R**ESPON. Dicendum quod aliquid pertinet ad bonum utrum, ad quod tñ hoīes non tenentur, sicut ad bonum uiri pertinet q̄ liberaliter amico suo bonum largiatur, quāuis ad hoc non tenetur: sed aliquid pertinet